



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1729. usque ad annum 1731

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1785**

**VD18 13322648**

§. 77. Benedictus Pamphilius Cardinalis mortuus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67677)

Sæc. XVIII.  
A. C. 1730.  
 Ordinis sui institutum ac leges accuratissime composuit, quin tamen Ecclesie negotiis deesset; erat enim Benedicti XIII. manus dextera, ejusque consiliorum moderator fidelissimus, adeo ut nihil pene ardui nisi per ipsum Pontifex aut deliberaret, aut ageret. Tandem vero Augustinus meritis ac ætate gravis die vigesima Februarii septuagenarius obiit paucis post Benedicti XIII. mortem horis; decuit enim, qui in vita individuus laborum comites erat, etiam in morte æterni præmii socius esset, uterque præclarum Dominicæ Familix lumen. Corpus illius, in testamento caverat, in communi Fratrum suorum sepulcro tumulatum est, ejus vero bona in Oristeneum, Minorcense, & Minervitanum Ordinis Cænobium distribui voluit.

## §. LXXVII.

*Benedictus Pamphilius Cardinalis mortuus.*

Hic ex antiquissima Pamphiliorum Prosapia Romæ Anno 1653. die vigesima quinta Aprilis natus erat. Pater Benedicti Camillus Dux S. Martini, Mater Olympia Aldobrandina Romanæ Princes mulier universo Orbi notissima. A teneris Benedictus Sacro Or-



Sæc. XVIII.  
A. C. 1730.

Ordini destinatus, a suis Genitoribus singulari cura ad omnia pietatis exercitia in utilitatem Ecclesiæ inducebatur. Adolescens humaniores literas, ac præsertim omnes Musas tanto profectu ac facilitate coluit, ut non modo sæpe quamplurimos versus ex tempore funderet, sed etiam carmina, Epigrammata, orationes &c. eleganti stylo concinnatas typis ederet: unde Academia, quæ *Humoristarum* nomen sortiebatur, Præses esse meruit. Sacrorum deinde disciplinis imbutus, Clericali militiæ nomen dedit, atque inter Præsules Romanæ Curiaë cooptatus, sensim ad amplissimos honores evehi cæpit, viam sternente tum affinitate cum præcipuis Italiæ Principibus, tum Innocentii X. Pro-Patruis potentia, ac ditissimo paternæ substantiæ censu, præcipue vero proprio integritatis, prudentiæ, atque eruditionis merito. Primo igitur Ordo Melitensis illustrissimo suo Corpori hanc gemmam adlegit, demando Romanæ Provinciæ Prioratu. Nec iners erat Pamphilius inclyti hujus Ordinis membrum; quotiescunque enim hæc Insula Saracenorum invasioni erat exposita, ipse consilio, ope, ac pecuniis illam egregie adjuvit, atque ad omnis generis subsidia prompte submittenda Romanæ



Sæc. XVIII  
C. C. 1730.

manam Sedem, ceterosque Italiae Principes strenue animavit: Annum egerat Pamphilius ætatis vigesimum octavum cum eum illustriorem Purpura reddere Romana, quam ex Innocentii XI. manibus acceperat: Obeunte hoc Pontifice Romam delatus, Sacris interfuit comitiis, in quibus Alexander VIII. supremi Pontificatus apices evertit Pamphilium Bononiensi Legatione honorabat, quo in munere hic præclaræ æquitatis, ac prudentiæ specimina prædidit, ac splendido apparatu, cuius magnifico, ac munificentia plane regali apud omniſ Ordinis homines prætiſſimus effulſit. Poſtea ab Innocentio XII. Præfeſtus Signaturæ gratiæ Archipreſbyter dictus eſt Baſilicæ Mariæ Majoris, quem tamen titulum poſtmodum commutavit in alterum S. Joannis in Laterano, cujus Eccleſiæ portam Sanctam anno ſæculari milleſimo ſeptingenteſimo ſolemni ritu aperuit. Templum magnis ſumptibus reparavit: Pari munificentia ad fabricam atque incrementum Collegii Clementini, cujus Protectorem agebat, mille ſcuta ſuppeditavit: erat quoque Ciſterciensium Protector ac Fautor valde munificus: Aſt plane videbatur divitiis abundare, & dignitates ita gerere, ut ex eis ampliores bene de omnibus



nibus merendi occasiones nanciscere-  
 tur. Ipsius eruditionem, raramque in  
 rebus gerendis dexteritatem sibi quo-  
 que sat perspectam habebat Clemens  
 XI. qui ejus opera & consilio in omni-  
 bus, iisque maxime arduis rebus feli-  
 citer utebatur; quocirca in cunctis fer-  
 me Congregationibus extra ordinem  
 habitis ejus consilium expetebat; præ-  
 cipue, cum de construendo novo Me-  
 ridiano, necnon de emendando Gre-  
 goriano, ut vocant, Calendario agere-  
 tur, quod Pamphilius, utpote Mathe-  
 seos & Architectonicæ artis peritissi-  
 mus, ubivis gentium recipi, plurimum  
 adlaborabat: ejus quoque studio &  
 opera celeberrimus aquæductus ex Cen-  
 tumcellis in Romanam Urbem maximo  
 civium commodo inferebatur: Insuper  
 Portum Antium, de quo construendo  
 jam plures ante annos incassum ageba-  
 tur, intra biennii angustias plene re-  
 purgatum, novisque molibus firmatum,  
 ad commodam æque ac securam na-  
 vium stationem reduxit, rem optime  
 gestam eidem invidente Malaspina  
 Equite Romano, cujus tamen libellus,  
 quem contra Pamphilium sparserat,  
 proscriptus, ac jubente Papa, Romæ  
 carnificis manu in ignem coniectus est.  
 Mortuo Cardinale Norisio Pamphilius,  
 qui ipse domestica, sed locupletissima

Sæc. XVIII.  
 A C. 1730.



Sæc. XVIII. instructus erat Bibliotheca, curam Vaticanæ in se susceperat; persuasum  
 A.C. 1730. quippe sibi habebat Pontifex, quod  
 literatissimus Vir doctissima volumina  
 & rariores ingeniorum partus ibidem  
 repositos propiori sollicitudine com-  
 plexurus, & conservaturus esset. Ne  
 sua eum fefellit opinio; Pamphilius  
 enim ex assiduo literatorum eo con-  
 fluentium commercio non modo ipsius  
 plurimum profecerat, sed per commu-  
 nicatam librorum notitiam haud pa-  
 rum proficiendi copiam aliis eruditioribus  
 præbuit. Anno 1712. contigit, ut in  
 cuata camera repente collapsa in Se-  
 minario Romano pene oppressus fuisset,  
 nisi uno prius momento ab ignem  
 quodam Sacerdote de periculo fuisset  
 admonitus. Attamen, qui ab imminente  
 ædificii ruina incolumis, vigiliæ  
 cæli oculo pro eo excubante servatus  
 erat, inopinæ mortis insidias effugere  
 haud poterat; quippe cum die quinta  
 Martii Sacra ingressus esset comitium  
 in quibus Clemens XII. Pontifex eligere  
 batur, die 20. Martii in lecto suo mortuus  
 oppressus reperiatur, expleto septuagesimo  
 septimo ætatis, & Cardinalatus  
 anno quadragesimo nono. Consecerat  
 equidem testamenti tabulas, sed non  
 nondum firmatas chirographo; quod  
 circa ejus substantiam, quæ præter  
 gem



gemmas, aliaque pretiosa ad decies Sæc. XVIII.  
centena aureorum millia ascenderat, A. C. 1730.  
ejus Agnati inter se divisere. Sepul-  
tus est in ejus Ecclesia gentilitia  
S. Agnetis in platea Agonali.

## §. LXXVIII.

*Bernardi Mariæ de Comitibus Car-  
dinalis extrema.*

Pari fato vivis in hisce comitiis sub-  
latus est Bernardus Maria Conti  
feu de Comitibus, Frater Germanus  
Innocentii XIII. Pontificis. Hic Romæ  
Anno 1664. die 29. Martii in lucem  
editus fuerat, Patre Carolo Duce Poli,  
Matre Isabella Ducissa de Muti. Ho-  
rum cura Bernardus eximia in Deum  
pietate, ac morum innocentia educa-  
tus, a Parentibus impetravit, ut ex-  
acto decimo sexto ætatis anno Institu-  
tum S. Benedicti Congregationis Cassi-  
nensis in Romano S. Pauli Monasterio  
profiteretur. Jam eo tempore Majores  
suos, quorum quatuordecim tiara Pon-  
tificia, & undecim Romana Purpura,  
ac præcipue virtutibus inclytos nume-  
rabat, sibi imitandos proponebat, tam  
felici æmulationis successu, ut in ipsum  
solum singula Majorum decora simul  
confluxisse viderentur. Præprimis vero  
altum fodit humilitatis fundamentum;

Y 5

instr-